

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johannes Bocer

**IN OBITVM HO=||NESTISSIMAE MATRO=||NAE, VRSVLAE CVRIONIS,||  
CLARISSIMI VIRI DOCTORIS || GEORGII CVRIONIS, MEDI=||CI, PIAE MEMORIAE,  
DE=||FVNCTAE VIDVAE.|| Epicedion loan:|| Boceri.||**

Rostock: Dietz, Ludwig (Erben), 1559

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1786044013>

Druck    Freier  Zugang



Bocerus, J.,  
in Vrsula Cvrio,  
uxor. G. Cvrio.

R. 1559.

64







37.

# IN OBITVM HO-

NESTISSIMAE MATRO-  
NAE, VRSVLAE CVRIONIS,  
CLARISSIMI VIRI DOCTORIS  
GEORGII CVRIONIS, MED-  
CI, PIAE MEMORIAE, DE-  
FVNCTAE VIDVAE.

*Epicedion Ioan:*

*Boccri.*



## ROSTOCHII

*In Officina Ludouici Ditiij.*

---

*M. D. LIX.*

64.

CLARISSIMO VIRO DO-  
mino Iohanni Hoffmanno I. V. Doctori cele-  
bri, & Duciis Illustriss: Ioannis Alberti  
Megapolensis &c. Consiliario, do-  
mino suo summa obseruantia  
colendo: S. P.

**A**Ccipe defunclam plorantia carmina socrum,  
Et placida mæstos perlege mente sonos.  
Ipse peregrinas quando legatus in oras  
Mitteris, & nostri Principis acta subis.  
Interea tristes nos deplorauimus urnas,  
Planximus & socrus busta suprema tuæ.  
Quicqd id est, mœstas mea nūc tibi mittit ad aures,  
Et rogarat hoc placide Musa probare uelis.  
Sic non alterius mihi sit tua causa doloris,  
Et uigeat nullo uulnere læsa domus,  
Sic te restituat nostris Deus optimus oris,  
Pellat & incepitæ cunctæ pericla uiae.

Ioan: Bocerus.

W. D. PIX

IN OBITVM HONESTIS.  
sumæ Matronæ Ursulæ Curionis, Clarissimi ui-  
ri Doctoris Georgij Curionis Medici p.i.e  
memoriae, defunctæ iudicæ: Epice-  
dion Ioan: Boceri.

E quis ab immitti lachrimarum ualle redemptum,  
Hoc uelit humanum tempore flere genus?  
Cum grauis extremo nutat sub pondere mundus,  
Crescit & in prauos quælibet hora dies.  
Dum nimis assiduo decedunt optima cursu,  
Et subeunt celeri deteriora gradu.  
Consule præteritos, si quis bene noueris, annos,  
Confer & buc certa tempora nostra fide,  
Omnis ut à solitorerum natura uigore  
Cesserit, absumptus pene dolore, scies.  
Vix aliquid restat, quod non furialis Enio,  
Verterit aut tristis oris inimica modo.  
Clauditur humana nitidum caligine cœlum,  
Et quotus æterni flagrat amore Dei?  
Mæstaque calcatur uarijs Ecclesia monstris,  
Exulat in multis & lacerata plagis.  
Qualis at heu miseris facies asperrima terris,  
Qualis & indomito regnat in orbe lues.

A.

Exulat

Exultat & probitas, & laudatissima uirtus  
Ante pedes, scelerum perdita mole, raset.  
Pax fugit, insana resonant & compita lite,  
Cæcaq; funesto pectora felle scatent.  
Hinc labor, & luctus, illinc mortalis egestas,  
Ingenti replent tempora nostra malis.  
Sibene dinumeres, quos uitæ duxeris annos,  
Ex his mille scatet quælibet hora malis.  
Et uix inuenies momentum temporis huius,  
Quod non mille grauis signa doloris habet.  
Ergo quis extinctis, & iusta morte solutis,  
Inuideat superæ regna beata plague?  
Si tamen hic aliquis ualuit pietate, fideq;  
Qui desiderium liquit in orbe sui.  
Et propter solitum si quæ uirtutis amore,  
Funera cum lacruminis digna fuere queri.  
Haec inter merita fuit & uirtute locanda  
Ursula, iam putri quæ tumulatur humo.  
Inclita foeminei quæ uixit gloria sexus,  
Exemplumq; fuit coniugis illa piæ.  
Et decus, & rectæ sanctissima regula uitæ,  
Lucebat stirpis per decus omne sūæ.  
Huic nomen pietas, & famæ candor honestæ,  
Inter honoratas fecerat esse nurus.

Cara

Cara Deo primum: nullis fortissima rebus,  
Preposuit summi iussa seuera Dei.  
Eius & in sacris, non corpore firma, sacellis,  
Hesit, & ad superos uota, precesq; tulit.  
O quoties nostri miserata feriissima secli  
Fata, Deum precibus flectere uisa fuit.  
Nil ego de reliquis (satis hoc) uirtutibus addam,  
Integer unanimis flos fuit illa thori.  
Si tamen in seros uirtus preclara Nepotes  
Transit, & e simili germine, germen habet.  
Siue quid eximium, clarisq; laboribus actum,  
Continet, & proauos iactat in astra domus.  
Hec quoq; non humili Scorerorū stemmate nata,  
Linda, per Heluetios quā iacet alta, fuit.  
Non procul excelsis ingens Constantia muris,  
Qua uidet Alpinas parte iacere niues.  
Illiū hic proauī, leuis est nec gloria, Cæsar,  
Rexerunt populos Maximiliane tuos.  
Nunc quoq; diue tuam Rex Ferdinande per aulā,  
Stirps ea consilijs, & pietate uiget.  
Illa sed officium muliebris candida sexus,  
A cunis egit laude decente nouis.  
Prima sub infidis, ætasq; tenerrima nugis,  
Fraudibus & latuit perfide Papa tuis.

A 3

Post

Post ubi sydereo detersit nubila coelo,  
Et magnum caput ferre Lutherus omis.  
Hæc quoq; diuini cognouit dogmata uerbi,  
Et tota Christo dedita mente fuit.  
Inq; semel parta constanter luce remansit,  
Casibus haud ullis, territa sive minis.  
Post ubi succreuit, plenis & nubilis annis,  
Ad Phylire liquidos nupsit honesta lacus.  
Primus ei uiridi fuit Humelshanius ævo,  
Vir datus, at seros non tulit ille dies.  
Ducitur ad tædas celeberrimus arte secundas,  
Et graue coniugij Curio tentat onus.  
Illum phœbeias olim Podalyrius artes,  
Et docuit medica membra leuare manu.  
Hic ubi cessauit mortalem ducere uitam.  
Serus & ætherei transit ad astra poli,  
Ursula Vernouium uiridem, natamq; secuta,  
Rostochia fatum clausit in urbe suum.  
Hanc gener Hoffmannus, duplicitis celeberrima iu<sup>e</sup>  
Gloria, Duxq; tui Iustiniane chori,  
Promeritam sancto semper ueneratus amore,  
Illi quæ poterat commoda ferre, tulit.  
Ille peregrinis sed nunc ignorat in oris,  
Supremam socrum morte subisse diem.

Et modo

Et modo sollicitus te saluam credit, & omni  
Tristitia caram parte carere domum.  
Et nec adesse putat, doleat quo funere coniunx,  
Illa sed heu matris busta suprema gemit.  
Sic o sic miseri qua non sperauimus hora,  
Ante subit nostros cura dolorq; pedes.  
Ergo nihil tutum miseris mortalibus usquam?  
Fletus erit subito, qui modo risus erat?  
Dum sequimur laeti solennia gaudia, fatum  
Nos premit, aut nostras occubat ante forces.  
Scilicet humanae fors o deterrima uitæ,  
Est aliquid semper, uiuere, posse pati.  
Nos sed felices, quibus est ignara futuri  
Mens data, nam solum cognita fata nocent.  
Sors homines manifesta premit, patientius omne  
Tollitur ignotum, supprimiturq; malum.  
At tu qui summo quod concidit Virsula fato,  
Nuncia cum mortis uenerit hora, gemes:  
Et quoscumq; pios moriens affliget amicos,  
Quos seruant alijs subdita regna plagis.  
Ne iuuet insano uos indulgere dolore,  
Nam bene qui uixit mortuus esse nequit.  
Et nunc angelicos inter latissima caetus,  
Hac capit æterno gaudia digna Deo.

Scilicet

Scilicet & moriens hanc spem conceperat, ore  
Quando uacillanti talia dicta dedit.  
Christe Dei uiui soboles, spes una tuorum,  
Tu mihi defensor, tu mea certa salus.  
Dum tibi confido, quae me uis auferet a te?  
Sic cado, te semper quo rediuiua colam,  
Viximus, & mundi uariantes sensimus aestus.  
Ulterius tecum uiuere, uita mihi est.  
Pluraq; diuini referens oracula uerbi  
His ego confidens, dixit, adibo polum.  
Vos quoq; dilecti quid me defletis amici,  
Auferor ad ueri tecla beata Dei.  
Ergo uale, durum dilecta p; nata dolorem,  
Comprime, res lacrimis non eget illa tuis.  
At tibi cara tuae gratamur gaudia sortis  
Ursula, coelesti diuina recepta polo.  
Non ego iam terris optarem Nesthoris annos,  
Hic est assidue uiuere, pene mori.  
Viuite foelices, uos o quibus unica coeli,  
Parta salus, uiuos tristia fatamant.


FINIS.

EPI.









Et modo sollicitus te saluam credit, et omni

Tristitia caram parte carere domum.

Et nec adesse putat, doleat quo funere coniunx,

Illa sed heu matris busta suprema gemit

Sic o sic miseri qua non sperauimus hora,

Ante subit nostros cura dolorq;

Ergo nihil tutum miseris mortalibus us

Fletus erit subito, qui modo ri

Dum sequimur laeti solennia gaud

Nos premit, aut nostras

Scilicet humanæ fors o detey

Est aliquid semper

Nos sed felices, quibus

Mens data, n

Sors homines mani

Tollitur i miturq; malum.

At tu qui sur dit Ursula fato,

Nu

Et quos uenerit hora, gemes :

Quis affliget amicos,

Alijs subdit a regna plagiis.

Nec indulgere dolore,

Qui uixit mortuus esse nequit.

Amicos inter latissima cætus,

Capit æterno gaudia digna Deo.

Scilicet

